



Epistola Henrici Regii ad v. cl. Clerselierum, jctum Parisiensem

<https://hdl.handle.net/1874/10156>

37

EPISTOLA
HENRICI REGII
Ad V. Cl.
CLERSELIERVM.
JC^{tum} Parisiensem.



TRAJECTI ad RHENUM,
Typis Theodori ab Ackersdyck, & Gisberti à Zyll,
c i o c L x i .

C A R O L U S F A B R I C I U S
L E C T O R I S.

V. Cl. Clerselierus Iurisconsultus Parisiensis, epistolarum, quas Cartesio attribuit, editor, & præfationis calumniosæ his prefixæ author, putabat in epistola ad Cl. Regium data, se Regii animum magnopere offendisse: sed Regius, qui novit etiam capitales hostes esse diligendos, ipsi tale amicissimum, quod hic additur, dedit responsum. Vale.

C A R T E S I U S

In Dissertatione de Methodo pag. 59.

*Posteros hic oratos volo ut nunquam credant,
quidquam à me esse protectum, quod ipse in lucem
non edidero.*

C L E R S E L I E R O , J C . S.

Vir Clarissime,

Brasti meo judicio, cum existimabas mihi, ad tuæ manus & nominis in tuis literis conspectum, nescio quas hostiles de te cogitationes in mentem venturas. Jam diu enim te mihi, non ut hostem hostili odio, sed ut amicum benevolo affectu prosequendum judicaveram. Nam abhinc biennium, simulac Viri nonnulli Eruditi hic apud nos præfatorium illud smegma vidissent, quo Carolus Fabricius calumniosas illas sordes eluere & detergere aggressus est, quas mihi præfatio quædam, literæque nonnullæ Cartesio adscriptæ, aspergere maximâ & ridiculâ cum injuriâ tentarunt; non succensendum, sed quam optimè istarum authori volendum putarunt. Quamvis enim istarum editione meam qualemunque existimationem quam virulentissime & iniquissime peti censerent: conatum tamen istum vanum, à Fabricio meo asperiuscule quidem, (rei enim fœditas lenia non ferrebat,) sed verè tamen & solidè refutatum, meæ existimationi non decrementum, sed haud contemnendum incrementum adferre existimarunt. Istorū itaque Virorum judicio acquiescens, te amare cœpi, & etiam nunc amo. Amorque meus per literas tuas, 25. Aprilis ad me datas, & demum 25. Septembris mihi redditas; magnopere est auctus. Non certè propter magnas illas laudes, quas mihi attribuere in iis voluisti: ad illas enim, tenuitatis meæ conscientia, erubesco. Sed propter insignem tuum candorem, quo testaris te talem præfationem in me scripturum non fuisse,

si Responsio mea, ad Notas Cartesii olim Cartesio data,
 citius ad manus tuas pervenisset. Nam eō refutationem Fa-
 bricii manifestē probare, tūcumque errorem candide fateri
 videris. Huc accedunt clarissima alia tui in me benevolen-
 tissimi affectus in tuis literis testimonia; quæ ego omni ami-
 cissimo affectu, & officiosissimo obsequio demererī semper,
 quantum vires & res meæ ferent, paratus ero. Ceterum
 In Diff. de
 Methodo
 pag. 59.

cum Cartesius publice olim testatus fuerit, se nolle quic-
 quam, quod non ipse ediderit, pro suo scripto haberi; non
 possum libellum de Homine, quem hic inter eruditos jam
 diu circumferri, cuiusq; alterum exemplar, uti & de Forma-
 tionē fœtus humani in utero materno, apud te existere præ-
 dictas, nec quodvis aliud, quod ab ipso non est editum, pro
 Cartesii scripto habere. Obnixè itaque rogo, ut mihi jam
 occupatissimo à desiderata illa schematum ad libellos illos
 conficiendorum opera, quęjam diu multorum eruditorum
 ingenia fatigavit, abstinere manum tuā pace liceat. Libel-
 los de Homine & Formatione fœtus, ullosve alios similes
 ab ipso non editos, nunquam hactenus vidi. Nec eorum
 videndorum desiderio etiamnum teneor. Inchoabitur jam
 tertia meæ Physicæ editio. Illa mihi, ad novas calumnias
 evitandas, illorum conspectum haud male desuadere vide-
 tur. editione istâ peractâ, quid mihi faciendum, despiciam.
 Interim rogo, ut me, tui Cartesiq; amantissimum, mutuo
 amore complecti, in eoq; perseverare digneris. Sum enim

VIR CLARISSIME

*Tuus humillimus & ad omne officium
 paratisimus famulas*

Utragecti, Octobris 1659.

H. REGIUS.